BIBLIOTHECA BODLEIANA

Illustrissimo

Guilielmo Henrico Nassavio,

Serenissimo Aurangiæ Principi;

In Re Militari, quà Terrestri, quà Maritimâ, pro Celsis admodum, & Præpotentibus Fœderatorum Belgarum Ordinibus,

Duci Invictissimo;

Et à Senatu Populóq; Anglicano Supremo Rerum ibidem Moderatori constituto;

Super Descensu in Angliam, Sibi, Nobisq;, Totiq; Orbi vero Christiano longè Fœlicissimo;

Thomæ Gilberti, Ministri penè Octogenarii,

CARMEN GRATULATORIUM.

122

LOngè alias melior Natura amovit, ab omni
Insulâ ut assurgat Reverentia major in unam;
Vin' quæ sit Fœlix hæc Una? Britannia nostra est;
Quam decorant, ditántq;, magis quàm Gemmea, Aquárum
Cingula; Divitiis tam Porta aliunde petendis,
Quàm, quæ nascuntur propria inter Viscera, Murus.
Nec tamen, à primâ nascentis Origine Mundi,
Hæc solùm à reliquis divisa est Insula Terris;

cursu temporis, omnem
Terrarum partem longùm pervaserat Orbem,
Numinis unius crassa Ignorantia Veri;
Cæca superstitio; ad Genius Genium, Ingeniúmq;
Idoli cultus cujusvis multiplicati:
Justitia tandem *Solis* melioris ab ortu,
Luce Evangelii multo mane irradiata,
Si non prima, inter Terras, non ultima, primas,
Schismate felici Pagano abscinditur orbe;
Romano Imperio tribuens Caput ordine Primum,
Quod Capiti Christo Nomen dedit, Imperiúmq;
Temporis at tractu nova Rerum Scena Malarum
Sese aperit, Sedem nanciscitur Imperialem,
Imperiúmq; simul sibi protinus arrogat ipsum,
Spirituale Caput; Civili in spirituale,
Nomen ad illius, mutato, nomine, Regnum;
Nomine mutato; Nam Bestia Fronte Bicornis,
Unum prætexens, Gladiis tamen usa duobus,
Longùm habuit Gentes, plus uno nomine servas:
Quas ut pelliceret melius, non Ethnica perdit
Numina; pro Sanctis mutat; varii manet idem
Idoli cultus; Veri par Numinis Ira;
Ira suo Phialis fundenda in tempore plenis,
Bestiæ in Atrocis Sedem, Soliúmq; superbum;
Cum Deus effusum servorum hinc inde cruorem,
Servorum à Servo, Christiq; *Vicario*, ut audit,
Amissas cum Christus Oves, Agnósq; requiret:
Christi hic fucatus *Pastor*, re *Proditor* apte est:
Sub Jove *Tartareo* Tenebrarum Regua ministrat
Prorex sat fidus; Verbi per Lumen ademptum,
Spissa Nocte decem, quibus imperitavit, opertis
Regnis (à nato Magno Illo scilicet Anti-
Christo) Centuriâ donec labente decenni,
Lætam Germanis, exortus *Lucifer*, Oris
Reddidit Auroram; quam, postea non ita musto,
In clarum usq; Diem provectam, tempore vidit

Nostri

Noſtra Ægyptiacis *Goſhen* diviſa Tenebris.
Purpureos Proceres Papa convocat ocyùs omnes,
(Serpentis veteris verum Genus Illius omnes;)
Pleno in Conclavi, præſente, & Præſide, Papa,
Fractâ, agitur, rerum de conditione ſuarum:
Poſt vanos primùm, triſti de Schiſmate, Luctus;
Maximè apud Britones jactura Meſſis opimæ;
(Conſilii ſic lata fuit ſententia ſacri)
Emittunt Gnaros ſananda ad vulnera Patres,
Implexis Nodis, varióq; Sophiſmate *Doctos*
Illaqueare aptis, *Vulgo* mille Inſinuandi
Artibus inſtructos; Votis nec ſi minùs Artes
Reſpondent, Cœptis deſiſtunt; Marte feroci
Inſpirant Reges, Papæ qui partibus hærent;
Ut Methodis, Mediiſq; aliis quæ cedere neſcit;
Impia, in *Hæreticis*, extincta ſit *Hæreſis*, Ipſis.
Quin Capita his etiam Terris Diademate cincta
Inſurgunt, tacito, Papæq;, ſibiq; viciſſim
Fœdere conjuncti; Facie modo Martis apertâ
Seſe expreſſuro: Scriptus Miles bene multus,
Præfectiq; Duces; Acies inſtructa, gerendi
Reș Belli nullâ non Arte perita; nihilq;
Deerat, quo Pactum, Britonum *Reditumve*, *Ruinámve*,
Aggrederentur Opus; Vicinæ Gentis ad inſtar,
Non Oris Gladio averſam convertere Chriſto,
Sed jam converſam Gladii ore avertere, Gentem.
Nil metuit, nil non ſperavit Roma, ſibiq;
Promiſit; certo jam certius Inſula Dives
Viſa eſt, mitrato ſub Cæſare, Spiritualis
Imperii tandèm Provincia rurſus habenda.
Stemmatis Antiqui cum præſens Gloria, Sec'li
Hujus Honos; tantos natus, ſervatus in uſus,
Temporis Articulo, *PRINCEPS AURANGIUS*, ipſo,
Menſuras Regum, clam tectas quas voluerunt,
Primùm oculo penetrat vigili, mox diſcutit omnes;
Conſilii medium haud ceſſans abrumpere Filum,

ARS ſubtile nimis quod longùm *IGNATIA* traxit.
Utq; erat, à teneris Annis, ad Bella gerenda
Arte, Animóq; pari inſtructus; Pactíſq; colendæ
Addictus pariter ſtudiis; ſic horum utriuſq;
Par ut erat, Batavûm quævis Provincia primum
Experta eſt ſpecimen; Galli cùm, Turbinis inſtar,
Deſcenſu, pluſquam ancipiti Fas omnia Motu
Cernere erat; certam minitantur cuncta Ruinam:
Conſenſu unanimi, tum, vel Juvenilibus Annis,
Deploratarum Rerum moderanda ſuarum,
ILLI, Fræna manus ſubitò traduntur in ambas,
HEROI; ut Primo Belli, Pacíſq; Miniſtro:
Gallorum Impreſſus, Populi pro more, feroces
Non modò ſuſtinuit, ſed & hâc à Gente fugavit:
Atq; magis gratam Pacis, firmámq; quietem
Reſtituit, Belli poſt motus; inq; hodiernum
Uſq; Diem, ſartam tectam, ſub Numine, præſtat.
Proxima Cura ſuis Batavis, venit Inſula noſtra;
Inſula nominibus multis Huic chara; ſed eheu!
Inſula plena malis, *MEDICO* que Hoc indiga *MAGNO*.
Res circa ſacras, longùm nimis inveteratis
Litibus internis, fruſtatim Eccleſia fracta;
Romanis Aquilis ſeſe exhibitura Cadaver;
Si, qui ſubdiderat triplici Diadema Coronæ
Triplex, ferre Moram Regis Patientia poſſet;
Et curſum minimè lentum, calcare peracri
Militis Armati, non præcipitare paraſſet.
Nec ſecum ſua Regna ſatis Rex eſſe putavit
Sacrum Mancipium Sanctæ ſubmittere Sedi;
Mancipium Civile ſibi tres ſubdere Gentes
Diſcupit; Imperium vel ab omni Lege ſolutum
Ornat; ubi Jus, Fáſq; Nefáſq;, Meúmq; Tuúmq;,
Nomina Res nullas notas facientia; Inanes,
Et ſine mente, ſoni; Vocum Ludibria habentur:
Regis in Arbitrio eſt Vitæq; Neciſq; Poteſtas.
His ut opus ſic Rebus erat, provectior Ætas

Principis, atq; Animus, multo est parcentior Angli,
Quàm Galli fuerat, Juvenili Ardore, Cruoris:
Hostes, hostili se Pectore gessit, in illos;
His pressis, Patris secum fert viscera, Amicis:
Quosq; suo vitio, paucos hic invenit Hostes,
Quo parcat, Martem tam mirâ temperat Arte,
Ut non tam Bello sine cæde & sanguine gesto,
Quàm Belli Ostentu potiùs, gesto sine Bello,
Res nostras, tantis jactatas fluctibus, omnes
Dixeris in Portu, tutáq; Quiete, locatas.
Virtute *HEROA* macte, *AUGUSTISSIME PRINCEPS*,
Hibernos rapidis Exercitus advolet Alis,
Præsenti redimens *repetendâ* à Strage Britannos.
Nimrodus Gallus victricia sentiat Arma,
Accensis meritò Patriis sic traditus Iris,
Alter ut *Actæon*, multi canis ore vorandus;
Dum factum, nequeant *Dominum* novisse, *Tyrannum*.
Postremò Batavum *BABYLON* Te Mystica *CTRUM*
Victorem expectat; fatali nobilitatâ,
Præter quam meruit, *PRÆLUSTRI AUTHORE*, Ruinâ.
Interea tria Sceptra *TIBI* moderanda capesse;
Nec, gratâ primùm quod porrigit Anglia Dextrâ,
Munus Honorificum, nimìs amolire Sinistrâ.
Sic etenim Antiquis Hebræis mos erat; ut qui
Afflictam à victo Gentem prius Hoste redemit,
Judicis Ornatus Populo imperitaret Honore.
Exemplis Exemplum aliis Tibi majus habendum est
SEPTIMUS HENRICUS, vestri Prænominis unum
Duplicis; ambobus Rerum Status accidit idem:
Illi ni solùm Regalia Jura, Tibiq;
Jus Populi pariter pressum Civile, Sacrúmq;
Cœlitus indutis Armis Redimenda venirent.
Exemplo huic quantum succedis Tempore, tantum
Virtute anteiens quantalibet Exemplari,
Accessu alterius Regnum sume ampliùs auctum:
Æquo Jure, Tuum est, à Decessoribus orto,

(*REGALIS* nostra propiori jure *MARIÆ*)
Demissum, Partúmq; Armis felicibus, ultra
Quod verè (si quis) Magnus *RICHMONDIUS* olim
Fortiter adversus *RICHARDUM* præstitit Illum,
Qui bene Regnârat, si non male Regna paráſſet;
Si non innocuo tractasset sceptra Nepotum
Tincta Cruóre; aliter nunquam vel Legis Iniquæ
Author erat; Justæve Minister Legis Iniquus.
JACOBUS noster (Natu modò noster habendus;
*ITALUS, HIBERNUS, GALLUS*que Affectibus, omnis
Cujuscunq; velis Gentis, nisi *SCOTUS*, & *ANGLUS*)
Re liquido, Titulo, mendax ni Fama, Tyrannus;
Sanguine Nobilium, Regali Sanguine Totus
Oblitus; ambitum Fraterna à Fronte Britannum,
Infectâ Ausoniis, rapuit Diadema, Venenis.
Vulcani Furiis sacrandam tradidit urbem,
Quæ cum *Cæsareâ* potuit contendere Româ;
Romæ *Papali* quoniam concedere nollet.
Et ne quid scelerum Mensuræ fortè deesset;
A Solio Natis, *Salius* sine Lege, Duabus.
Seclusis (tantum valuerunt Toxica Romæ)
Quippe Inconcussæ Fidei; de Fœce Popelli
Fœtum Romani, pariter cum Lacte, Venenum
Sucturum Erroris, ternæ *Gentis, Deoq;*,
Triplicis harodem sceptri imposuisse fategit.
Monstrum Hominis! cujus Soceri Te dispudet; Armis.
Non piguit justis, à Gente, Deóq; vocatum
Impetere, & Victum Solio depellere Iniquo:
Legibus expositæ nullo in discrimine vitæ,
Non aliâ exutus, quàm Libertate nocendi,
Servatur charæ, Patriæ Hostis, Patre *Mariæ*.
Hic neq; sistendum est; à Gente Tyrannide pulsa:
Majus adhuc Tibi restat opus, cum Numine Summo,
His etiam Cœptis magis adspirare parato.
Nam bene si sacri secreta volumina Libri,
Et suprema senis quæ spectant Tempora Mundi

Consului; his paucis Tibi Res Mandata legenda est;
ASSERE VEXATAS, VITIATAS CORRIGE GENTES.
Hanc igitur nostram Tibi *Spartam* nactus adornes;
Et Lateres fragiles solido cum Marmore mutes:
Imparibus sceptris manibus modo debilitatas
Antiquas Gentis Virtutes, penè necatas,
Ad Salvatoris suaves, Gentisq; salubres,
Leges formatas adamussim, Exemplaq; *vestra*
Virtutis solidè firmatas usq; tuere:
Prætoris simul, & *Pastoris*, ubiq; locorum,
Munere commisso fungenda ad Munera, quavis
Parte, aptis; quibus amotis Regum unus, & alter,
Atq; suis vitiis nimis Exemplaribus, omnis
Ordinis hunc latè Populum corruperat; ut sic
Putida, *Papismus*, cunctorum *Lerna* Malorum
Promptior his valeat sese insinuare paratis;
Nobilis ante alias olim, sub Regibus istis,
Gens Hæc quanto alias, & se depressior infra,
Sub vestris tanto Auspiciis magis emicet Alta;
Hostilis Terror, Patronáq; Gentis Amica:
Cum se intra toties (toties ut ab orbe) dirempta,
Pacifico sub Avo coalescens Tota *Jacobo*,
Fœdere solvendo Mundum non ante solutum,
TE CAPITE, unitis conjuncta sit Insula Belgis:
Qui, quanto Annorum viginti Lustra tenentur
Ære, haud immemores, dum flagrat Ibera Tyrannis
Adversus Batavos sociali fœdere junctos;
Elisæ adjutos nostræ auxiliaribus Armis:
Anglæ jam referunt grato cum fœnore Genti;
Et Tutelari Genio, Hoc in Principe, donant.

MAN-

MANTISSA.

DIC, Atheista, mihi, Mundúsne est Numinis expers?
Non Res Terrenas Cœlestis cura ministrat?
Dic, mihi, Papicola, annon sit tibi rursus habendus
DUODECIMUS OCTAVUS MIRABILIS ANNUS?
Nonne Reformatum credis Culumque Fidémque,
Authori Christo Cordi, Curæque fuisse?
Assensum Implicitæ Fidei non postulo cæcum:
Sic fuit, ut cernis, semper sic crede futurum.
Vin' Christum mutare suam Mentémve, Animúmve?
Quin, Papista, tuam malè sanam corrige mentem;
Pro Fungo *Basle*, Deum tibi sælige Vivum;
Et, Jove pro *Capitolino*, complectere Christum:
Veraq; Divinæ post hæc *Magnalia* Dextræ,
Quæ Lætis Animis Gens circùm nostra celebrat,
Fictæ Meretricis Miracula despice Romæ.

Hoc, quale quale, Carmen scriptum erat
sub Exitum Mensis Januarii.

FINIS.